Et cognoscetur manus domini in servis eius et
indignabitur inimicis suis. Quia ecce
dominus in igne veniet et quasi turbo quadriga
eius. Reddere in indignatione furorem
suum et increpationem suam in flamma
ignis. Quia in igne dominus diiudicabit et
gladio suo ad omnem carnem et multipli
cabuntur interfecti a domino. Qui sanctificabantur
et mundos se putabant in hortis post unam
intrinsecus. Qui comedebant carnem
suillam et abominationem et murem
simul consumentur dicit dominus. Ego autem
opera eorum et cogitationes eorum venio
ut congregem cum omnibus gentibus et linguis
et venient et videbunt gloriam meam et ponam in eis signum et mittam ex eis
qui salvati fuerint ad gentes in mare in
Africa et in Lidia tendentes sagittam
et in Italiam et Greciam ad insulas longe
ad eos qui non audierunt de me et non viderunt
gloriam meam. Et adnuntiabunt gloriam
meam gentibus et adducent omnes fratres vestros de cunctis
gentibus donum domino in equis et in quadrigis
et in lecticis et in mulis et in carrucis ad montem
sanctum meum Hierusalem dicit dominus. Quomodo si in
ferunt filii Israhel munus in vase mundo
in domum domini. Et adsumam ex eis sacerdotes
et levitas dicit dominus. Quia sicut celi novi et
terra nova que ego facio stare coram me
dicit dominus. Sic stabit semen vestrum et nomen
vestrum. Et erit mensis ex mense et sabbatum
ex sabbato veniet omnis caro ut adoret
coram facie mea dicit dominus.
Et egredientur et videbunt cadavera virorum
qui prevaricati sunt in me. Vermis eorum
non morietur et ignis eorum non extinguetur.
Et erunt usque ad satietatem visionis
omni carni.

EXPLICIT FELICITER LIBER
ESAIE PROFETE DEO GRATIAS

INCIPIT PROLOGUS BEATI HIERONIMI PRESBITERI IN LIBRO HIEREMIE PROPHETE

Hieremias propheta cui hic prologus scribitur
sermone quidem apud Hebreos Esaia et Osee
et quibusdam aliis prophetis videtur esse
rusticior, sed sensibus par est quippe qui eodem
spiritu prophetaverit. Porro simplicitas eloquii
de loco ei in quo natus est accidit. Fuit enim
Anathothites qui est usque hodie viculus tribus
ab Hierosolimis distans milibus. Sacerdos
ex sacerdotibus et in matris utero sanctificatus.
Virginitate sua evangelicum virum Christi
ecclesie dedicans. Hic vaticinari exorsus est
puer et captivitatem urbis adque Iude
non solum spiritu sed et oculis carnis intuitus
est. Iam decem tribus Israhel Assyrii in Medos
erant translate; iam terras earum colonie
gentium possidebant. Unde in Iuda
tantum et Beniamin prophetavit et civi
tatis sue ruinas quadruplici planxit
alfabeto, quod nos mensure metri versibusque
reddidimus. Preterea ordinem visionum
qui apud Grecos et Latinos omnino confusus
est ad pristinam fidem correximus.
Librum autem Baruch notarii eius qui apud
Hebreos nec legitur nec habetur pretermisimus.
Pro his omnibus maledicta ab emulis prestolantes
quibus me necesse est per singula
opuscula respondere. Et hoc patior quia
vos cogitis. Ceterum ad conpendium mali
erat si quis faceret modum furori eorum silentio
me opponere quam cottidie novum aliquid
scribentem invidorum insaniam
provocare.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIT LIBER HIEREMIE PROPHETE

VERBA HIEREMIE FILII HELCIE DE SACERDOT